# Disputatio medica inauguralis, de hepatite ... / Eruditorum examini subjicit Daniel Ainslie.

#### **Contributors**

Ainslie, Daniel. University of Edinburgh.

#### **Publication/Creation**

Edinburgi: Excudebant Adamus Neill et Socii, 1801.

#### **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/nhgwy5ug

#### License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org

### DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

DISPUTATIO MEDICA

HEPATITIDE

ACADEMLE EDIVRURGENE PREFETTION SENI SENATUS ACADEMICI Consense EL

Digitized by the Internet Archive in 2020 with funding from Wellcome Library

EDINBURGE!

## DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

## HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI.

### D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissima FACULTATIS MEDICÆ Decreto; et

PRO

### GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

### DANIEL AINSLIE,

SCOTO-BRITANNUS,

CHIRURGUS;

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. SUB SOC. IND. MERENS.

Ad diem 12. Septembris, horâ locoque solitis.

"Ην έξαπίνης πολλή γίνηται ή χολή, όδυνᾶται το ήπας ό ἄνθεωπος.

HIPPOC. TIEL NOUGWY.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCCI.


# JACOBO STIKLING

ortandra strough

SINGH EDWOMSTREET, INCH.

SIGNUM,

BERTIER SCHOOL OF SECTION STREET



description of the second second

# JACOBO STIRLING,

EQUITI BARONETTO,

ANIMI BENEFICIORUM MEMORIS

SIGNUM,

D. D. CQUE

DANIEL AINSLIE.

DOCTISSIMO ET LLECANTISSIMO

## GULLELMO MOORIE ISTNIK

SOCIET. REG. EDIN. 200. S.

монатиная мизаноил

IN ACADEMIA EDINBURGENA

PROPESSORINE MEMORIE
CUL ACCEPTUM REFERT

QUODCUNQUE HARUM LINGUARUM DIDICERIT.

TH

CONSILIUM DE STUDIIS SUIS SALUBERRIMUM

MECHON

# JACOBO HOME M. D. S. R. F. S. Sc.

MATERIA MEDICK

QUEM PUBLICE PRIVATIMOUE

EXPERTUS SIT,

D D Cook

AUCTOR

ITEM,

DOCTISSIMO ET ELEGANTISSIMO

## GULIELMO MOODIE, S.T.D.

SOCIET. REG. EDIN. SOC. &c.

LINGUARUM ORIENTALIUM

IN ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI,

CUI ACCEPTUM REFERT

QUODCUNQUE HARUM LINGUARUM DIDICERIT,

ET

CONSILIUM DE STUDIIS SUIS SALUBERRIMUM :

NECNON,

JACOBO HOME, M. D. S.R.E.S., &c.

MATERIÆ MEDICÆ

IN ACADEMIA EDINBURGENA
PROFESSORI,

QUEM PUBLICE PRIVATIMQUE ERUDITISSIMUM ATQUE HUMANISSIMUM

EXPERTUS SIT,

D. D. CQUE

AUCTOR.

MORTAL MARKET MORA SOUTH

### DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

### HEPATITIDE.

EPATITIDI proprium est, phlegmasiæ cæteræ quòd regiones serè frigidas infestant, illi cœlum calidum magis patet, et India præsertim, cujus populos quosdam inter latos endemia grassatur.

Strages, quam latè dat, eò luctuosior, quia ætatibus florentes præ cæteris corripit, medicorum attentionem summo sibi jure vindicavit,

Rariùs

Rariùs Indos invadens Occidentales, quamvis illis est quod Madras cœlum idem, nunquam non oras habitat Coromandel, militibus ante alios infestior omnes.

Dubium igitur, egredi hos fines insolita, quibus variis ex causis, ab auctoribus in medium prolatis, debet tribui; quippe qui iisdem ferè accedat, magis indagatu difficilia funt, quæ cum morbo perpetim conjuncta ad causas relegare debet.

Maximè, quæ sequuntur ad hepatitidem acutam pertinent, quæ, nisi succurritur, curriculum celeriter conficit; nec feliciter tractatæ supervenit chronica, illi crebrò hac aliàs subeunte (A).

DEFI-

<sup>(</sup>A) Aliter evenire refert GIRDLESTONE: chronicam nempe acutam plerumque antecedere, quam, per plures menses, vel annos nonnunquam, latentem, causis de variis, intemperantia nempe in potione, in alteram mutari. Sæpius autem, ni fallor, ut suprà.

#### DEFINITIO.

Sympromata in definitione cel. Cullent recensita, morbi verè characterem adumbrant.

"Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor, sæpe pungens pleuritici instar, sæpius obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnæa; tussis sicca; vomitus; singultus (A)."

### HISTORIA.

Prout habitus, temperamentum, morbi qui præcesserint, hepatis pars quam infestat, et viscera ad quæ pertinet inflammatio; ita varia hujus morbi sunt signa. Quæ perpetua primò,

<sup>(</sup>A) Nosol. Method. gen. 17.

mò, quæ deinde singulis casibus propria videntur, expedire aggrediar.

Prægressis horrore, ac reliqua signorum caterva, pyrexiam stipante instantem, vehementer quæ ægrum urgent interdum; sentitur in hypochondrio dextro tensio, gravitas, ardor, dolor sæpe pungens pleuritici instar, sæpius obtusus; et illi hic aliquando supervenit: Inflammatione membranam in acuta infestante hepatitide, dolores magis ut plurimum acerbi; plùs minùs pro parte hepatis affecta: Dolor ad claviculam et summum humeri dextri, et in quibus thorax arctus et angustus, feminisque, ad epigastrium usque pertinens: Decubitus in sinistrum latus difficilis; in hypochondrio dextro evidens sæpe tumor; dolor pressu auctus; et pari forsan ratione, epulis assumptis: motu etiam augetur musculorum abdominis, et reliquorum qui respirationi inserviunt, ideoque inspiratione et tussi: " Nonnunquam (inquit CELSUS) manus quoque dextra torquetur :" Dyspnæa; tussis sine tensio expectoratione;

expectoratione; ex florida facies pallida, sublivida, mœsta; vigilia; aliquando delirium: lingua et fauces inarescunt; alios adstricta, alios frequens alvus, ut in dysenteria ferè, exercet: urina parca, rubra, felle tincta: humeri prominentes fiunt: æger, minore cum molestia, supinus, aliquanto capite demisso, recumbit. Variant aliqua ex parte, pro sede morbi, symptomata: habente inflammatione hepatis partem concavam, doloris minus et dyspnœa est; nausea autem, et vomitus plerumque biliosus, anxietas et cardialgia, adsunt; et ductus biliarios affectos cutis insequitur flavescens, a quibusdam 'inter signa pathognomonica minùs rectè recensita; aliquando cholera, vel diarrhœa, et vitiosa concava, decubitus in alterum latus minus molestus.

Chronicæ signa obscuriora, nec aliena valdè a dyspepsiam comitantibus, satis certam haud præbent diagnosin. Febris levior; inflatio; post cibum, in ventriculo plenitudinis sensus molestus; ructus; in hypochondrio dextro

tensio ac gravitas, cum dolore pressu aucto, ad claviculam, ut in acuta, et ad humerum pertinente; ægrotus, quamvis latus in neutrum sine molestia, in sinistrum tamen ægriùs decumbit; fusa, prius adstricta, alvus, aliquando cum profluvio; lassitudo; animus mœstus, formidolosus; stadiis in extremis, gingivæ duræ; febris hectica; deficientes vires; mors.

#### MORBI FINES.

Tinem optandum huic morbo resolutio dat:
quomodo interdum, antecedente quâdam vel
comitante evacuatione, sponte solvitur; sanguinis nempe per nares vel anum; fellis, (ut
olim monuit Hippocrates:) " Έξερχεται έξ
" αὐτέης, τὸ μὲν κατὰ τὴν κύςιν, τὸ δὲ κατὰ τὴν
" κοιλίην καὶ οὕτως ἐλάχισον ἐς τὸν ἄνθρωπον
" γίνεται, καὶ παύονται οἱ πόνοι\*." Sudores
multi,

<sup>\*</sup> Περί Νουσων.

multi, a quo pendet erysipelas forsan, a nonnullis inter signa resolutionis recensitum: si
morbo simul tentantur pulmones, citatur expectoratio. Satis verisimile est, resolutionem
quodammodo exudatione in illorum superficiem promoveri; hujus quamvis reliquiæ, peritonæo visceribusque hepar vicinis agglutinatum, totam denique vitam hominis infestat:
unde in omni reliqua vita, decubitus in sinistrum latus difficilis; nec vacat æger, corporis
subito quovis ex nisu, molestiæ sensu.

In suppurationem quando morbus abierit, per varios exitus pus foràs eliminatur; quo jam oriente, dolori remittenti acuto, rigor frequens subest, cum gravitatis sensu. Erumpit pus aliquando in ductus biliarios, vel si vicinis nusquam hepar adhæserit, in cavum abdominis, et brevi mors exinde sequitur.

Formatis autem adhæsionibus, quò sæpius in loco est res, a situ pendet illarum, quem exitum puri licebit petere: si in partibus superioribus hepatis sit abscessus, jecinore diaphrag-

mati agglutinato, pus in cavum thoracis, vulnus lethale imponens, erumpit; vel in pulmones, expectoratione unde pure ejecto, nonnunquam liberatur; sæpius tamen, laborantibus exinde pulmonibus, consumitur, evasurus e morbo primario, ægrotus; nec non vasis
erosis sanguiferis mors instat.

Sin vero, in partem anteriorem suppuratio fertur, hæretque jecur peritonæo abdominis obducto parietibus, ferro ex abscessu aperto, pus debet emitti. Ex apostemate denique, cui sedes in concava hepatis, per adhæsiones pus effunditur in ventriculum vel intestina; profluit autem in colon, quod margine inferiore abscedit.

In scirrhum item morbus desinit; cui diutiùs duranti haud rarò supervenit ascites.

Finem morbo, licèt rariùs, gangræna statuit; talis inde potest colligi eventus, quòd subitò desinente dolore, excipit pulsus parvus, debilis, frequens, intermittens; corporis partes externæ frigent, ægro, sudore gelido, viscido, circa pectus diffluente et frontem, subsultu tendinum accedente, mitique delirio.

### SECTIO CADAVERUM.

Non alienum videtur institutis meis, similitudinem quam referunt nonnulli hepatitide laborantibus, cum iis quos syphilis infestat, esse sanguinem, priùs notare, quam ad sectiones cadaverum transeam (A).

Cùm corpora hepatitide mortuorum incisa scrutantur, prout sedes ipsa cladis est, et stadia quæ ante mortem percurrerat, ita variæ morborum formæ videntur, qui viscera diversa thoracis et abdominis variè tentant.

Inflammatio, vexata membrana, anteriorem partem hepatis tunc solito crassiorem atque strato fibrinæ obductam, sæpe occupat (B).

Crebrò reperitur jecur magnopere auctum, us-

ob (A) Vid. MATHEWS.

<sup>(</sup>B) BAILLIE's " Morb, Anat,"

que adeò interdum, ut libras duodecim cum semisse penderet, in quo inerat nec vesica ulla, neque pus; vacabant item morbo reliqua omnia viscera (A); modò etiam libras octodecim cum dimidio; modò, nam haud rarò valdè minuitur, pondere solummodo uncias viginti æquavit (B): interdum multas vesicas, habet jecur, diaphragmati adhærens, plenas pure, vel jam depletas; atque septo eroso transverso, ad thoracem via sternitur qua pus transit, valdè pulmonibus nocens in dextro præcipue lobo.

Reperitur rariùs, abscessu vacans hepar, superficies lividum, maculisque gangrænosis distinctum (c).

Scirrhos etiam multimodos, quamvis sæpius in chronica, ostendunt cadaverum sectiones; ventriculosque quos infestat inflamma-

; oit ole andly; ex ejusdem partis superioris in

<sup>(</sup>A) GIRDLESTONE.

<sup>(</sup>B) D. GREGORY in Prælect.

<sup>(</sup>c) MORGAGNI.

tio; inter viscera aliud alii agglutinatum; ac mesenterii glandulas tumidas et duras.

Suprà posita sunt quæ præcipua, inciso corpore, scrutanti in conspectum veniunt.

### RATIO SYMPTOMATUM.

Dolor ad claviculam et summum bumeri dexri,—aliis causis ab auctoribus aliis tribuitur. Satis tamen verisimile est nasci dolorem, vel ex nexu nervorum; vel, ut Sauvagesio et Culleno magis arridet, ex hepate cui agglutinatur diaphragma deorsum trahente.

Decubitus in sinistrum latus difficilis,—ab hoc nascitur, quòd lateri dextro hepar adhæret, pondere moleque valens; unde ne hoc quidem signum perpetuum est (A).

Ex descensui diaphragmatis obstante jecinoris mole aucta; ex ejusdem partis superioris inflammatione ad septum transversum pleuramque, atque inferioris ad ventriculum propagata;

ex

<sup>(</sup>A) Vide suprà, p. 6.

ex pressu ventrem vexante, nimia bilis quem reslua perturbat; oriuntur dyspnæa, tussis sicca, vomitus, et singultus.

#### CAUSÆ REMOTÆ.

Morbus hic graffatur in regionibus calidis, et præcipue in oris Coromandel, rarò impuberes indigenasve invadens; frigidis appulsos ex terris, vel cœlo gaudentibus temperato corripit.

Tentationi sunt magis obnoxii morbi, quibus temperamentum sanguineum est, qui ætate florentes, vegeti, lautiore utuntur victu, et pleno haustu vinum meracius bibunt.

Quæ sequuntur inter præcipuas sunt, quibus omnibus causis solito vehementiorem reddere sanguinis in jecinore motum commune videtur; ex secretione enim bilis, imperfectæ licèt, raptim peracta, ex sensu quòque tensionis ac gravitatis in jecinoris regione, colligi potest potest hepatitidis acutæ prænuncia esse plerumque signa sanguinis congestionis.

Constat inter omnes proclivitatem ad hunc morbum ex statu cœli provenire, et debere calorem pro causa, inter præcipuas recenseri, quæ tantopere conferre videtur. Hic longè validiores edit effectus, si regio subitis sit tempestatis varietatibus obnoxia; inde enim in calore mollius est corpus.

Huc forsan spectant frigus extrinsecus vel intrinsecus admotum; ideoque item varia arte comparata quæ vim refrigerandi habent; potiones nempe gelidæ, et aër, quorum usus in India frequentissimus est.

In hoc morbo, plagis hisce, excitando, vi magnâ calorem pollere, cui quamvis non ubique perpetuum est, conjunctum forsan cum quodam huc spectante, in aqua, aëre, vel locis, argumento est, nec innoxios esse canes, nulli alii objectos quam causam hepatitis agnoscit.

Huic annumerantur capiti rectis solis radiis (Gallicè, Goup de Soleil) injuriæ illatæ; vis hepatis

patis regioni extrinsecus adhibita; contusio; lapsus; cranium fractum, in quo afficitur hepar, vel propter consensum qui cerebrum inter et jecur intercedit, ut in mania (A), aliisque morbis (B); vel ventriculi ope, initio enim plerumque elicitur vomitus. Huc referre licet forsan quæ sequuntur; ira, animique affectus deprimentes; victûs consuetudo subitò mutata; diæta lautior et plenior; intemperantia in potione; atque aqua insalubris (c); necnon pro causa exercitatio immodica, ad fatigationem usque, habenda est. METASTASI fonticulos, hæmorrhagias, et eruptiones quasdam suppressa insequitur, nec morbi primarii reditu solvitur hepatitis; post febres intermittentes supervenit et remittentes; et conjungitur cum intermittente in morbo (Anglicè, The

Hill-

<sup>(</sup>A) Vid. SAUNDERS.

<sup>(</sup>B) Vid. GIRDLESTONE.

<sup>(</sup>c) Hepatis vitium in Minorca vulgatissimum huic causæ tribuitur a CLEGHORN.

Hill-fever), Indiæ qui provinciæ, cui nomen Garnatic, inter monticulas grassatur: Causæ etiam solida varia et fluida diversis à causis nata in hepate ipso.

### CAUSA PROXIMA.

As inflammatione arteriæ hepaticæ ramulorum pendet hepatitis acuta, consanguinea nempè arteriæ jecinoris nutrici; chronica autem, huic quoniam est visceri proprium secretionem fieri ex sanguine venoso, rectiùs ad venam hepaticam relegatur.

### DIAGNOSIS.

A pneumonia dignoscitur, in qua dolor magis pungens ægrum altiùs in pectore angit; dyspnœa vehementior principio; tussis dolentior, et sæpe cruenta; decubitus in latus affectum molestus; quæ omnia aliter se habent in hepatitide, cujus signa, dolor ad claviculam et

summum humeri dextri, idemque in hypochondrio dextro pressu auctus, ac vomitus biliofus pneumoniæ desunt: præterea venienti utrique, alio ut plurimum sub cœlo natæ, eodem ferè modo occurritur; levioris itaque momenti, quod dubii restet. Hunc morbum a splenitide, doloris situs tumorisque; ab enteritide, doloris circa umbilicum torquentis absentia, nec indicante pulsu pyrexiam typhodem; a gastritide, vomitus ab initio continens, in epigastrio ardor, dolorque, quibuslibet auctus ingestis, debilitas valde notabilis, et pyrexia typhodes dijudicant. Eandem regionem infestante rheumatismo, vel febricula tantùm levi, vel nulla, in musculorum tractu latiùs dolor spatiatur.

### PROGNOSIS.

In hoc morbo haud facile in futurum quicquid certè præsagiri potest. Ad hoc plurimum confert, ætatis, corporis, vitæ, temporisque risque observatio attenta, dein animadvertendum quamdiu durans et qualis morbi inclementia.

Dolores acerbi, dyspnœa ingravescens, adstrictaque alvus, spem in angusto esse; subeuntibus autem singultu atque delirio, in præcipiti jam esse denunciant; ex evacuationibus suprà recensitis (A) plerumque res fiunt faciliores; quando autem in suppurationem morbus abierit, pro via qua expellitur pus, est varius eventus.

### RATIO MEDENDI.

Diversis ex morbi stadiis variæ oriuntur indicationes curatoriæ.

1mò, Resolutione morbum solvere-;

2dò, Si in suppurationem abierit, operam dare ut feliciter ad exitum perducatur:

Levanda sunt inter hæc indicia quæ maxime urgent.

C

ımò,

<sup>(</sup>A) Vide suprà, p. 6.

sunt remedia, quæ reliquos adversus morbos inflammationem habentes valent, ideoque quod antiphlogisticum vocatur regimine utendum; et prælucente naturâ (A), per quas vias solutionem absolvit, sequi debemus.

Unde sanguinis detractio adhibenda: in ipso impetu sanguis largè et sæpe mittendus est;
quatenus tamen sanguinis detractio in hoc morbo progredi debeat, a vi morbi, ab effectibus
quos in pulsum edit, ab ætate, vitæ genere, viribus atque cœli statu, pendet; habet enim
hoc consilium quoddam in singulis casibus
proprium, estque in eo paulo subtilior observatio adhibenda. Minus efficax sanguinis topica detractio; e vena incisa melior est.

Quæ alvum movent; ex quibus præ cæteris cathartica mitiora, præparata nempe salina, dilutissima; oleum ricini, et reliqua refrigerantia, et emollientia.

men, in impetu quoque, ut mihi retulit medi-

<sup>(</sup>A) Vide suprà, p. 6.

Epispastica partes super læsas iterum atque iterum imponenda; validiori quomodo remedio sunt; simul diluentibus metus stranguriæ abstergendus est demulcentibus et oleosis.

Ex antimonio parata adeò adhibenda sunt ut sudor parvus moveatur; cavendum autem ne quibus hoc consilio utimur remedia, vomitum excitent.

Refrigerantia; scilicet fructus acidi, citras potassæ, et hoc omne ferè genus remediorum ad inflammationem tollendam sitimque idoneum: attamen metus est ne vomitum ciant acida in stomacho vitioso bile.

Hydrargyrus.—Autem ex omni farragine maxime eminet hydrargyrus, remedium cæteris longè validius, et adversus hepatitidem ferè speciale. In hoc consentiunt medici ferè omnes; at nascitur tamen quæstio quo tempore adhiberi debeat; minus rectè, ut plerisque arridet, donec morbus processerit: ad hoc tamen, in impetu quoque, ut mihi retulit medi-

hydrargyri, neque enim iisdem ac hydrargyri
pilulæ incommodis obnoxium, vel partes affectæ perfricandæ sunt, vel tenuiore obductæ cuticulâ, quæ nimirum meliùs resorbent, inguen
nempe axilla, et ejusmodi reliquæ: auctor est
Saunders, dempta epispasticis cuticula, in corpus faciliùs hydrargyrum recipi, qui eousque
adhibendus est, donec ore olente, tumidæ dolent
gingivæ spongiosæ: et nascente ptyalismo, interposito spatio, ad hydrargyrum redeundum est,
non prorsus mense vel amplius omittendum.

Fertur haud parum proficere acidum nitricum, quod ex analogia sanguinis in syphilide et hepatitide missi (B), et hydrargyri contra utrasque efficacis, ex hoc quoque quòd in syphilide, ut inter plerosque convenit, magna vi pollet acidum nitricum, satis verisimile

:tes enim love sub temperate sunt, quie

<sup>(</sup>A) Dr Hunter, Physician to the Honourable East and India Company.

<sup>(</sup>B) Vide suprà, p. 9.

est: ratione non multum aliena colligi potest, haud mediocrem opem afferre nitras potassæ.

2dò, Morbo in suppurationem abeunte, ufurpanda sunt roborantia et stimulantia, qualia, cinchona, acidum vitriolicum, et vinum,
quibus ægrum jam debilem, quod indicant
pulsus parvus, debilis, frequens, agere convenit. Spectans extrorsum apostema curationem
ex manu postulat; igitur ferro aperiendum;
ad quod, modò adsint satis amplæ adhæsiones,
curationem respondere verisimile est; et facilè quamvis non vulnus sanescit, tamen æger
confirmatur.

Sæpe auxilio est navigatio, et cælos petere mitiores est egregio remedio, ac validiora simul cætera reddens, eventus secundat; efficaciora enim Jove sub temperato sunt, quæ sub fervido minùs valent, remedia.

Ad hepatitidem sanandam CHRONICAM, adhibendum est hydrargyri unguentum, per hebdomadas septem vel ampliùs; jam mollibus,

duris

duris antea gingivis, morbus cedere incipit, victu simul sumpto lautiore, et modico vino: multùm proficit, testante Dick, in latere fonticulus.

In signis gravioribus levandis; ad tussim, si molesta sit, sopiendam, adhibenda cautè opiata; dolor in latere fomentis lenitur; et quum exciderit inflammationis omne indicium, opio vigiliæ, ubi torquet, medendo, quies ægro conciliatur: alvi firmandi causâ, cui fusa, usurpanda perquam cautè astringentia, quippe quæ suppurationi magnopere faveant.

Quomodo fiat prophylaxis incertum; neque enim vi speciali pollet aliquid ad hepatitidem præcavendam. Ex usu hydrargyri, provenit potiùs ad morbum proclivitas. Omnibus morbis obnoxia maximè est infirmitas, quorum plerique in hepar, plagis in illis, debilem quasi in partem incidunt; itaque secundæ valetudinis præsidia communia sedulò usurpanda sunt. Ad hoc consilium perutilis est modica exercitatio, et præsertim equitatio,

sole recèns orto; qua porrò prohibitis quodammodo calculis in ductibus biliariis hærere, morbi hæc causa antevertitur.

Hepatitidis sequelæ nihil proprium est, nisi quod sæpe recidiva sit; atque jecinoris à scirrho, ubi parùm occursum est, nasci solet ascites.

vigiliae, ubi torquet, medendo, quies aegro conciliatur: alvi firmandi causà, cui fusa, usurpanda perquam caute astringentia, quippe quae

Quon Que enim

tidem præcavendam. Ex usu hydrargyri, provenit potius ad morbum proclivitas. Omnibus morbis obnoxia maxime est infirmitas, quorum plerique in hepar, plagis in illis, debilem quasi in partem incidunt; itaque secundas valetudinis præsidia communia sedulò usurpanda sunt. Ad hoc consilium perutilis est modica exercitatio, et præsertim equitatio, sole

DE HEFATITEE.

elle recent orto; que perrò per biblicia quedemcom executio in de l'iblici di biblici herece, morbi bece causa auscretture.

entities of the second profile of the second second